

quâ liberè voluntas operatur. Enim verò actiones nostras laus ac  
vituperium consequi solet, prout eadem rectæ rationi consonæ aut  
difformes producuntur. Qvà verò ratione id locum haberet, si li-  
bertate destituerentur? Nam agentibus, qvæ necessariis adstrin-  
guntur actionibus, ut operari aliter, ac à naturâ suâ desciscere ne-  
queant, frustra præscribitur agendi regula, insulsè laus ac vitu-  
perium admetit.

VIII. Causam efficientem excipit *finis*, qvem A. M. compe-  
tere neminem, nisi fungum in capite gestet pro cerebrô, inficias  
iturum arbitror. Etenim, cum omne, qvod agit, non temerario  
qvodam agat modo; sed certum agendi agnoscat finem, homi-  
nem reliqvorū animalium principem, fine susq; deq; habito, o-  
perari, qvis diceret? Finis igitur, ob qvem operatur moraliter ho-  
mo, est vel *ultimus*, vel *subordinatus*; *Ille in honestate & practicâ*  
*consistit felicitate*, qvæ utut pro varietate ingenii modò in volu-  
ptate, modò in honore, in divitiis modò aut virtutis habitu collo-  
cetur; justè tamen si æstimetur, nihil est aliud, qvàm operatio se-  
cundum virtutem optimam, & perfectissimam in vitâ perfectâ  
instituta; hic pro cuiusq; intentione multiplex esse potest, qvan-  
doq; videm qvodlibet agens in particulari peculiarem suæ actio-  
nis habeat finem.

IX. Restat, ut de materia non nihil addam, qvam propriè di-  
ctam A. M. non esse adscribendam extra omnem dubitationis a-  
leam est positum. Ut tamen id, qvod res est, dicam, competit iis-  
dem (1) *materia in quâ*, seu *subjectum*, & est ipsâ *voluntas, non ex-*  
*cluso penitus appetitum* (2) *Materia circa quam*, qvam *omne agibile*  
*propriè dictum*, qvod moralitatis esse capax potest, facio, circa  
qvod voluntas *prosecutivo* versatur *actu*, si *bonum* est, sive jam sit  
*reveratale*, sive *male* saltem *videatur*; *aversativo* autem si *mali* ra-  
tionem habet. Voluntatem enim modò in *laxâ significatione*  
capimus, prout tam *velle*, qvàm *nolle* complectitur.

X. Sed meum jam erit dispicere, qvid A. M. *humaniforma*  
sit, sive qvid eum in esse Moris constituat. Ubi vel *maximè circa*  
*controversiæ statum notari* velim, (1) sermonem mihi non esse  
de *moralitate objectivâ* ipsi objecto inhabitante, adeoq; omne id,  
cui inest A. M. *objectum designante*, ita qvidem, ut nihil aliud,  
qvàm